



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XVII. De omnium actionum humanarum, quæ sunt honestæ, fine, & scopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

mus. Nam etiam in singulis generalis illius materiae partibus, id est, in eo quod à nobis cogitur, dicitur, & fit, appetitus, vel perturbationes inueniri, qui à virtute regantur, sanè concedimus, ne quid à nostro Lactantio diuersum sentire cuiquam videamur.



CAP. XVII.

De omnium actionum humanarum, quæ sunt honestæ, sine, & scopo.

PROXIMUM est, vt de actionũ nostrarũ, quæ morales dicũtur, sine ac scopo dicamus, quæ quanquã sunt duplices, nimirũ aut honestæ, aut vitiosæ, de honestis dũtaxat dicere nobis maximè propositum est. Neque enim hæc à nobis suscepta est disputatio, vt homines ad vitia prouocemus, ad quæ sunt naturã plus satis propensi & procliues: sed vt ad virtutem atque ad omne honestum opus eos instruamus: qui certè est huius cognitionis & philosophiæ verissimus finis, què admodum Paulus docet, 2. Timoth. 3. versu 17. *ἵνα, αὐτὸς ἄριστος ἢ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξυπταμένως.* Itaque de fine, quem sibi proponere, quẽmq; spectare debet, quicumque verè bonum opus efficere studet, agamus. Est enim in vna ea re boni vel mali operis maximum discrimen positum: & in fine deligendo, proram & puppim virtutum totiũsque honestæ navigationis

tionis nostræ omnes collocarunt. Qualis enim est finis nobis propositus, talis & actio quoque nostra censeri debet. Præclarè igitur Anselmus, *Omnia volūtas sicut vult aliquid, ita vult propter aliquid. Nam quemadmodū considerandum est, quid velit, ita videndū est, cur velit: quippe non magis recta debet esse volēdo quod debet, quā volēdo propter quod debet. Quapropter omnia volūtas habet, Quid, & Cur.* Quamobrē uti finium quidā sunt

{ Boni
 { Mali.

Sic actionum nostrarū genus est duplex. omnes enim ratione finis sunt aut bonæ, aut malæ. Finē bonum appello, quem spectare & sequi, nobisque pro scopo deligere Deus ipse verbo suo iubet, qualis est Dei ipsius gloria, proximi dilectio: afflicti benigna & misericors, non autē spe compensationis facta subleuatio: & si qui alijs Deo nobis designati sunt fines. Malum autem finem dico, quē in agendo spectare vetat Deus, qualis Dei blasphemia, proximi læsio, mercenaria benignitas. Medias autem quasdam actiones & *adiaphoras*, quæ vocantur, esse quanquam non nego, quemadmodum etiam ex sacra Scriptura docemur: eas tamen ratione actus, non autem ratione finis tales esse contendo. Quemadmodum enim quædam fieri difertè iubentur Dei verbo: quædam autem nominatim prohibentur: quædam verò tanquam in mediō relicta sunt, ut, prout est cuiusque illa agentis scopus & animus, sic vel honesta vel turpia censeantur: sic omnes actus nostri ita diuiduntur & distinguuntur in vniuersum, ut vel bonos vel malos,

vel *adiaphorę* eos appellemus. Bonos, si præcipiuntur: malos, si vetantur: indifferentes, si neque per se fieri vetentur, neque iubentur, quale est ut uxorem ducamus, ut pisces vel carnes edamus, ut hoc vel illo colore vestiamur. Ex hac autem triplici actuum differētia, singulæ actiones nostræ vel bonæ, vel malæ, vel adiaphorę dici possunt: quæ tamen omnes finis ipsius, quem habemus in animo, ratione sunt tantum vel

{ Bonæ & laudabiles,

{ Turpes & vituperandæ, nullæ mediæ.

Quare magnum est in fine & scopo actionum nostrarum eligendo & proponendo momentum, magna vis, & quidem tanta, ut quæ opera sæpe actuum & operationum ipsarum externarum ratione inter se simillima videtur: propter finem tamen diuersum, non tantum diuersa, & dissimillima: sed prorsus inter se contraria & pugnantia reperiantur: fallit enim vitium sæpenumero, ut ait ille, *specie virtutis est umbra, Quum sit triste habitu.* Quamobrem rectissime libro 4. contra Iulianum cap. 3. Augustinus, *Vera virtus ait, ex fine, non ex actione iudicatur. Nam sæpe latrones multa tolerant, auari item, neque tamen in eis est fortitudo. Igitur non officijs, sed finibus à vitijs virtutes discernuntur.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos

Per mare pauperiæ fugiens, per saxa, per ignes, ait ille. Neque propterea tamen fortis, & magni animi vir dici potest: sed potius auarus. Id quod pulcherrimè quoque Bernardus sic expressit: *Vigilat, tota nocte luxuriosus, non solum patienter, sed et libenter, ut suam expleat voluptatem. Vigilat.*

gilat raptor vestitus ferro, ut diripiat prædam. Vigilat fur, ut domum perfodiat alienam. Sed hi omnes & horum similes, longè sunt à labore & dolore, quom considerat Dominus: Homines autem bone voluntatis, qui Christiana volûtate diuitias paupertate commutarunt, vel etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sequuntur eum quocunque ierit. Chrysofost. in epist. Pauli ad Galat. ca. I. Nam & medici secant carnem, nonnunquam & ossa frangunt, quæ frequenter eadem faciunt & latrones. Rursus homicidæ pariter, ut Martyres torquentur, at non quia patiuntur eadem tormenta: vtrique eodem habentur loco. Quin & Abraham filij interfectorem dicemus, si res nudas expendimus, non addentes quam ob rem, quo animo id fecerit. Quid enim si quis latro peregrè profecturo mercatori cuiquam & pecunias ad iter quærêti fatagat, & operâ suam diligenter accommodet, ut magnam pecuniæ summam mercator ille inueniat, sed eo animo ut ipse prædo in syluis eam postea eripiat, nonne si actio ipsa à latrone adhibita diligentiaque spectetur, amici officium: sin autem illius animus & finis cõsideretur, prædonis facinus fecisse videbitur? Quid, si quis vicino locupleti pecunia ad tempus egenti ipse mutuetur, ut eum facilius postea prætextu istius officij & amicitia fallat & circumueniat? nonne, si actus ipse, & mutuû datum spectetur, vir bonus & Christianus iste censebitur: sin autem finis & animus eius cogitetur, idem ille improbus & scelestissimus meritò dicendus est? Sanè. Tanti nimirum momenti sunt in nostris actio-

nibus omnibus fines, vt ex illis, non ex officiis & præstationibus ipsis externis, bonæ vel malæ æstimentur. *Ratio enim iustitiæ*, inquit Augustinus libro 22. contra Faustum cap. 43. *non tatum quid factum sit, verum etiam quare factum sit, intuetur.* Et Bernardus Epist. 69. *Rerum causa*, ait, *non materia, nec exitus actuum, sed intensionis propositum causas discernit & merita, dicente Domino, Si oculus tuus simplex fuerit, & totum corpus simplex erit.* Vnde qui sæpe à nobis laudatur, & nunquã tamen satis laudatus est, Augustinus Sermo. 59. de Tempore, *Non virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet.* Item. *Non ad opera*, inquit maximus Episcopus, *sed ad scopum operum, diuinum iudicium intentos habet oculos.* Ergo non ex obiecto & materia, sed fine virtutes à vitiis secernuntur: atque adeò ex eodem fine virtutes ipsæ inter se propriè distinguuntur. Quod autem, inquit Aristoteles libro 6. Ethic. cap. 5. finem esse rerum agendarum principium, magnam nostræ sententiæ confirmationem affert. Nam quæcunque agimus, certi alicuius finis gratia agimus, non autem temerè, non frustra, non inconsideratè: sed aliquid pro scopo spectamus, qui quidem inhærens in animo impellit nos, atque inuitat ad agendum: quãquam demum post actionem finem illum consequimur. Præclarè enim idem Aristoteles, *Que in animi intèrione prima sunt & proponuntur*, ait, *ea ipsa in ipsius rei exequutione & effectiõne postrema consequuntur, & percipiuntur.* Est igitur finis in actionibus humanis tanti momenti, tantè que digni-

gnitatis, quantæ in artibus & scientiis, quæ ratio
cinando cõficiuntur, ipsa syllogismi conclusio,
quæ etsi postremum est, tamen præcipuū quod-
dam & iucundissimū est totius cognitionis no-
stræ opus. Itaque vulgò in scholis dici solet,
Quod in cogitatione, affirmatio & negatio, hoc
iplum est in appetitione, persequutio & fuga.
Quod etiam in reliquis verum est. Et certè,
quemadmodum ad cognitionem artium *νοῦν*
quasdam *ἑννοίας* mentibus nostris insequit Domi-
mus, per quas tanquam per diuinam, & spiritua-
lem quandam lucem, prima rerum, quæ scientia
comprehendi possunt, principia intelligimus &
fatemur esse vera: sic ad actiones honestas reli-
quit idem Deus quoddam conscientiæ lumen,
& generale testimonium, tanquam honesti &
inhonesti *κερτήσεως* (quæ vulgò *Συνείσησις* vocant)
quod est ipsius Legi cælesti per Mosem pro-
mulgatæ planè concordans atque consentiens,
per hoc tanquam diuinum quendam oculū, &
naturæ ipsius testificationē rerum honestarum
summa, & generalia quædam præcepta atque
principia videmus, sentimus & agnoscimus esse
sequenda, contrariâque fugienda. Hoc verum
esse docet Paulus Roman. 2. versu 14. *Nam gen-
tes, ait, quæ Legem (Mosis) non habent, natura quæ
Legis sunt, faciunt, ut qui ostendant opus Legis
scriptum in cordibus suis, unâ testimonium reddent-
e ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo
accusantibus, aut etiam excusantibus.* Hanc autem
conscientiæ suæ lucem & vocem naturæ quicū-
que vel libidinis suæ intēperie victus, vel malè
agendi inueterata consuetudine excæcatus: vel

prauo hominum iudicio corruptus amisit, ac in se extinxit, nã ille nunquam ad sanam mentem; melioremque frugem poterit reuocari. Itaque ille incidit in illam ἀναλγησίαν, de qua Paulus Ephes. 4. vers. 19. vt sese omni proteruitate ad certatim patrandã omnẽ impuritã dedat. Nam hi *post iura Dei cognita, non solum mala faciunt ipsi: sed etiam facientibus patrociniatur*, vt docet idem Paulus. Principium enim & bene agendi, & bene ac verè de humanis actionibus iudicandi, item per quod bonum à malo, honestum à turpi discerneret, miser perdidit: atque est de iis rebus iudex omni bruto pecude deterior. Atque hoc conscientie nostrae testimonium, est illud ipsum principium humanarum actionum, quod incorruptum in nobis manere debere cõfetur, & meritò quidem; Aristoteles libro 6. cap. 5. Ethic. vt simus & ad bene viuendum, & ad bene de vitiis & virtutibus iudicandum apti & idonei. Quod vbi semel nostro vitio fuerit sublatum, & tanquam vi libidinis in nobis regnantis suffocatum, neque finem honestum vllis in nostris actionibus vnquam proponemus, aut seligemus: neque etiam ab aliis propositum vnquam probabimus, aut sequemur. Neque enim Pyrrhonis, Herilli, aliorumque his similibus Scepticorum sententia vllò modo nobis audienda est, qui omnem rerum honestarum & inhonestarum discrimen, atque delectum sustulerunt, qui ne inter profanos quidẽ ipsos, quemadmodum M. Tullius docet, vllum de officio & virtutibus disputandi locum habuerunt. Sed nec Academici his meliores, aut magis à nobis proponendi

ponendi, qui idē sentiunt. Itaque vt quis sit re-
ctus & honestus actionum nostrarum finis in-
telligamus, Bonum illud & sincerum conscien-
tiæ testimonium à deo accipere debemus: atque
ille ferè omnibus hominibus (quos nondum
in reprobum sensum tradidit) illud largitur be-
nignè. Acceptum conseruare, quantum in no-
bis est, oportet, nec vitiorum flagitiorumque
assuetudine delendum est. Denique ne aliquan-
do praua hominum, cū quibus versamur, quo-
rumq; scripta vel sentētiās audimus vel legimus
cōsuetudine vel authoritate frāgatur, inflecta-
tur, imminuatur, aut etiam deperdatur (verū. n.
illud est, *Corrumpunt bonos mores colloquia pra-
ua*) ad ipsissimum Dei verbum, quod scriptum
nobis magna Dei misericordia & prouidentia
relictum est, tanquam ad verissimam normam
recurrendum nobis est, per quod ipsa illa no-
stra siue *συείδναις*, siue *συτήρηταις*, id est, conscien-
tiæ integritas, sanitas & sinceritas est informā-
da & restituenda, & restituta tuenda, ac fouen-
da. Est enim Dei verbum scriptum, imp̄imis au-
tem Lex illa cælestis, quæ Decalogus appella-
tur, verissima nostræ conscientiæ stabiliendæ &
dirigendæ (vt in bonis malisque discernendis,
sincerum iudicium adhibeat & retineat, nor-
ma, lux, liber, doctrina ac institutio: quoniam sæ-
pe conscientia nostra longa quadam ad malè a-
gendum assuefactione, aut etiam stupore quo-
dam suo communes illas boni & mali distin-
guendi notitias obliterat, & amittit prorsus: vel
admodum tenues & infirmas habet, quæ tamen

sunt restituendæ, vt aliquis honesti & inhonesti delectus inter nos maneat, & conseruetur. Sed iam quinam esse debeant nostrarū actionū vt illæ sint honestæ & sanctæ fines, explicemus. Neque enim in hac quæstione censent omnes idē, sed alij ab aliis & sententia, & verbis deprehenduntur dissimillimi. Ac primū philosophi homines vera rerum luce, id est, diuina cognitione destituti, quantum reliquo, id est, obscuro naturæ lumine, consequi potuerunt, tantum sunt efficere & docere conati. Ex iis igitur (nā Epicureos inter pecudes potius quā homines, nedum Philosophos, habeo) quidam virtutem ipsam, id est, splendorem quendam vitæ, & honorem inter homines moderatiores præcipuum esse finem actionum nostrarum voluerunt. Quid enim aliud ab iis vel virtus vel honestas dicitur, nisi (quemadmodum rectē docet Lactantius Firmianus) honor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore, propter moderatiorem vitam delatus? Itaque hi in honestis actionibus nostris nihil aliud pro fine spectant, nisi ipsam earum laudem, & naturæ, siue conscientiæ nostræ iudicium quoddam. Sed neque nos vltius quicquam aspicere volūt, quā vt ad naturæ rationisque humanæ præscriptum, quā proximè fieri potest, accedamus, atque collimemus. Virtutem enim vocant eam actionem, quæ proximè cum rationis humanæ iudicio consentit, estque in nobis latentis potentia perfectus actus. Volunt igitur nos esse contentos hoc ipso studio & opere nostro, & illud nobis pro summo & solo actionum nostrarum fine proponendum, quoniam hoc præclarum

quiddam est, & naturæ nostræ tanquam perfectio, ac absolutio quædam. Actionum ergo nostrarum finis, ex istorum sententia, est actio ipsa. i. latitantiû animæ nostræ facultatum in suos actus apertos, & ἐνεργίως perfectissimas educitio & progressio, non autem Dei gloria; non proximi subleuatio, non humanæ societatis conseruatio, sed hoc ipsum duntaxat, quod quæ agimus, perfectè agimus, & quantum ratio humana præscribit agendum. Ex quo fit, vt homo sit sibi ipse finis actionû suarû. i. sit sibi ipse deus, fœlicitas, & summû bonû: quod certè est absurdissimû sentire, nedû dicere, quû homine ipso nihil sit & vanum magis, & infirmum. Psal. 8. vers. 5. & Psal. 62. vers. 10. Præterea, vt verè Lactantius, Non ipsa virtus, ait; est summum bonum, sed effectrix & via tantum; quia perueniri ad illud sine virtute non potest. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Virtutes autem quæ nulli rei seruire volunt, nec ipse vere sunt. Vera quippe virtutes Deo seruiunt, in hominibus Deo seruiunt; & in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Alij igitur, hac priore sententia repudiata, ipsam fœlicitatem finem esse actionum nostrarum contendent, quam eandem, vt augustum quiddam, & humana sorte maius dixisse videantur, non μακαριότητα, non item δαβιότητα, non ἀπύχιαν: sed δαιμονίαν appellant, quasi quæ nos ipsi Deo æquales & pares reddat. Hanc autem duplicem constituunt Aristotelici, vnâ quam in hac vita consequimur, quæ sit posita in virtutis actione perpetua, cui adiunctæ sint cumulatè corporis & fortunæ bona, ne quid ad præsentis huius vitæ cōm-

lz. ij.

ditatē, vel corporis suauitatem desit. Alterā, quā post hanc demū vitā (si modò ex Aristotelis sententia immortalis est animus hominis) nanciscimur, quæ in perfectæ contemplationis voluptate sit sita. Ad hanc autem vtramque fœlicitatem consequendam, virtutes, tanquam viam quandam omnino necessariam, adhibent, sine quibus illa nunquam haberi possit. Itaque hi non virtutem ipsam, id est, perfectam actionem finem agendi constituunt, quod superiores faciunt, sed præter & supra virtutem aliud quiddam pro summo bono quærunt, quod (vti dixi) vocant *διδασκαλίαν*. Sed neque hæc ipsa sententia vera est. Primùm quòd aliquem, præter Dei gloriam, finem actionum nostrarum ponere, est toto cœlo (vti postea docebimus) aberrare. Deinde, quòd hominis summum bonum (qui enim actionum nostrarum finis constituitur, idem illud summum quoque hominis bonum sit; necesse est) in ipsius hominis natura, suauitate, & tanquam ambitu collocant, & concludunt. Atqui præclare Augustinus, vti nemo sibi ipse vitæ autor esse potest: sic neque beatæ vitæ, ait, vt extra hominem ipsum hominis fœlicitas omnino sit quærenda. Præterea virtutes & vniuersas hominis actiones, imò honestatem ipsam mercenariam faciunt, quum eam idcirco consecutam esse volunt: quia per eam nobis bene sit. Ergo nobis ipsis nati sumus, & idem quod superius absurdum eueniet, vt fateamur, hominem sibi ipsi summum esse bonum. Quamquam verò desiderant omnes fœlices esse, & commune sit humanæ mentis non infancientis votū fœlicitas (omnes

(oēs.n.sibi bene esse volūt) tamen nō ipse hominis animus sua sorte cōtentus, felicitas hominis est: non fruitio omnium, quæ optare quisque in hac vita potest, & in quibus sibi bene & cōmodè esse sentit. Multa enim praua & turpia desiderant homines, quibus summè delectantur, multa sunt inepta, in quibus acquiescimus: multa denique ad corpus potius, quàm ad animum: ad nos potius, quàm ad Deum referimus. Bene quidē nobis esse. i. vitæ huius cōmoditates desideramus, quia omnes homines hīc sumus caro: sed (quemadmodū sæpe disputauit Augustinus, imprimisque in libris de Trinitate) non omnes eam fœlicitatem, quæ vera est, quæque summū hominis bonum censerī debet, desiderant. Atque hoc ipsum est quod vulgò dicitur, Omnia expetere bonum suę conditionis, vt sint: non autem bonū electionis, per quod verè beati sunt. Itaque aliquid non idcirco fœlicitas nostra vel summum bonum esse censendum est, quia à nobis summis votis exoptatur. Sequitur quidem eos, qui verum actionum suarum finē spectant, illa fœlicitas, & beatus quidam status: sed ipsa illa beatitudo, id est, fœlix nostri conditio, verus actionum nostrarū finis non est statuendus, nisi si nos Deo preferim⁹, nos nobis solis natos ducimus, & mercenariam tū virtutem, tum fœlicitatem nostram prorsus facere volumus. Alij denique (hæc enim omnia breuius persequor, quòd præclaro opere Lactantius istas sententias refutauit, libro 3. Institut. Christianarum) Deum ipsum actionum nostrarum finem constituunt, vtī Plato in epist. ad Architam, in Phī-

k. iij.

lebo, & aliis aliquot locis: quod huius contem-
platione fruētes, boni & beati sumus. Sed & hæc ipsa
sententia finē actionum nostrarū nos ipsos facit,
nostramque sortē & fœlicitatē: non Deū ipsum,
quia eatenus Deū pro summo bono inducit &
cogitat, quatenus per eū ipsi beati sumus, & no-
bis bene est. Itaque nō Deum propter seipsum,
sed propter nos, & bonum nobis ab eo proue-
niens, docet esse diligendum & proponendum
nobis tanquam scopum. Quo quid turpius aut
magis mercenarium dici potest? Deus enim nō
propter vel animi vel corporis bona, quæ in nos
confert: sed propter seipsum à nobis & diligen-
dus, & finis actionum nostrarum omnium est
æstimandus, si modò verum dicere, & Christia-
ni esse velimus. Genes. 15. vers. 1. Psalmo 4. vers.
8. & copiosissimè Psal. 62. Ad eò quidē, ut quan-
quam gloriæ Dei inseruiētes, maxima detri-
menta, imò etiam ipsam animorum nostrorum
mortē æternam subire deberemus, Deū tamen
& ipsius gloriā pro vero & summo & solo o-
mnium operum nostrorum sine proponere no-
bis semper oporteat. Ex quo fit, ut ne hæc quidē
Lactantii Firmiani sententiam libro 6. c. 9. pro-
bemus. *Nam dempta spe immortalitatis, ait, quam
Deus pollicetur in sua religione veris sanctis, cuius
assequēda gratia viri appetēda est, & quicquid ac-
ciderit malorum perferendum, maxima erit profectò
vanitas, obsequi velle virtutibus, quæ frustra homini
calamitates afferunt, & labores.* Virtutem enim
planè facit, quemadmodum alij, mercenariam,
& nostri tantum commodi causa consectan-
dam. Et hæc quidem aduersus Philosophos. His
autem

autem nihilo meliores sequuti sunt Christiani quidam, qui Scholastici siue Sententiarij nominantur: imo verò longè superioribus omnibus deteriores apparent. Illi enim censent meritum nostrum, quod appellant, esse finem honestæ vitæ atque actionis nostræ. Itaque ex eorum sententia bene agere ad eum finem oportet, vt vitam æternam, id est, fœlicem nobis aliquem in futura vita statum mereamur, atque acquiramus. Quod quid aliud est, quàm nostri, non Dei gratia viuere, quàm nos ipsos ac beatam illam nostrâ conditionē, non Dei gloriam ipsam per se præcipuū operū nostrorum finē & scopū censere, id est, nos Deo præferre? Quid denique aliud est, quàm opera nostra autoramentum quoddam constituere vitæ æternæ, & cælesti illi immortalitati par, & æquale? Adeò vt vita æterna nobis adempta iam bene non sit agendū, & Deo obsequendū: & iam non sit vita æterna, (contrà quàm tamen Romanorum 6. versu 23. Paulus sentit) Dei donum, sed ex istorum decreto debita quædam, & iusto pretio empta merces. Quæ sanè blasphemia potius, quàm falsa tantum sententia, quanquam infinitis modis refutatur, tamen veterum Patrum autoritate, non nostra dimicatione iugulanda & vincenda est. Audiât igitur isti Meritorij homines quid Augustinus contra meritum operum nostrorum sentiat. *Uæ, ait, etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* libro 9. Confess. cap. 13. Idem ad Bonifacium libro 4. capite 4. *Solus Christus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per illum sine bonis meritis conse-*

queremur gratiam. Audiant quid Leo primus Sermo 12. de passione Domini scripserit, *Acciperunt iusti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientia, non dona iustitia.* Audiant quid Gregorius Magnus libro 21. Moral. capite 15. *Omnis humana iustitia iniustitia esse deprehenditur, si diuinitus districtè iudicetur.* Quid Eusebius Emisenus cap. 3. *Licet corporis & anima laboribus desudemus: totis licet obedientia viribus exerceamur, nihil tamen condignum meritò pro caelestibus bonis compensare valebimus. futura enim beatitudo acquiri potest, estimari non potest.* Quid Anselmus in dialogo De veritate capite 13. *Iustus namque quum vult quod debet, seruat voluntatis rectitudinem, non propter aliud iustus est, quàm propter ipsam rectitudinem. Qui autem nisi coactus, aut extranea mercede conductus vult quod debet, si seruare dicendus est rectitudinem, non eam seruat propter se, sed propter aliud.* Quid Bernardus Clareuallensis in Serm. De annuntiatione Mariæ, *Aeternam vitam nullis potes meritis promereri, vbi totus ille locus legendus est. Sufficit enim, ait idem, ad meritum scire, quòd non sufficiant merita.* Quid Gabriel Biel libro 2. Distinct. 22. *Tria requiruntur, vt sit meritum condigni: primum, Vt sit amicus, qui facit: secundum, Vt referatur opus ad Dei gloriam. tertium, Vt à Deo acceptetur.* Audiant quid D. Paulus 2. Timoth. 1. vers. 9. *Qui seruauit nos, & vocauit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia, quæ data quidem est nobis in Christo Iesu ante tempora aeterna.* Audiant denique quid Christus

stus

stus ipse Lucæ 17. versu 9. *Num gratiam habet (dominus) seruo illi, quia fecit quæ ipsi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Aut hoc testiū satis est, aut nescio quid sit satis. Ex quo fit, vt turpissimè & falsissimè meritum operum nostrorum, vel acquisitio vitæ æternæ nostrarum actionum finis & scopus esse debere dicatur, & doceatur inter Christianos. Omnium autem ineptissimè sentiunt, qui vel honorem & famam hominum, vel corporis voluptatem, & reliqua commoda vitæ huius, vel etiam lucrum ac utilitatem actionum nostrarum scopum esse definiunt. quod non modò vulgus hominum imperitum facit, sed etiā *χαιρίτες* multi. Itaque meritò in Agesilai vita illud iactatum reprehendit Plutarchus, *Nihil aliud iustum esse, quàm quod utile est Sparta.* Quibus omnibus expositis, iam quis omnium actionum nostrarum, imprimis autem honestarum, finis esse debeat, explicemus: ab eo loco potissimum exorsi, quid sit finis. Finis est, cuius gratia fit, & suscipitur aliquid. Quæcunque. n. homines consilio & animi ratione agunt & aggrediūtur, scopū sibi proponunt aliquem, ad quem suum opus referant. Quamobrem rectè Aristoteles libro 1. Ethic. *Omnis ars, ait, & omnis doctrina, item omnis actio & propositum animi, bonum aliquod expetere, & finem spectare videtur.* quia hæc omnia, neque temerè fieri, neque suscipi sine ratione solent. Finium autem multiplex est ratio. Alius e-

nim est	}	Summus	} Proximus
		Inferior	
Alius denique	}	Primarius	
		Subseruiens.	

Summus finis est illud ipsum, quod alio nomine Summum bonum appellamus. Est autem, quod omnia, atque etiam propter se appetunt: siue cuius gratia reliqua omnia expetuntur, ipsum propter se. Hic idem finis est primarius & præcipuus, cui reliqui fines inferiores tanquam mediæ quidam fines, & supremi finis consequendi adminicula subseruiunt. Itaque omnes illi mediæ & minus præcipui siue inferiores fines ad hunc summum referuntur & pertinent. Finis proximus est, quem ita in agendo spectamus, ut hunc primo loco & ordine, id est, ante reliqua omnia esse & obtinere velimus. Remotior finis est, quem etsi spectauimus quidem, non tamen primo loco cœnire nobis sperauimus. Hic igitur de summo & primario actionum nostrarum siue fine siue bono quærimus, ecquod sit. Nam earundem inferiores fines esse quidem multi possunt, sed summus esse potest tantum vnus. Item in singulis actionibus nostris aliud versari sæpe potest, quam hic summus finis, quem quærimus: sed tamen ad eum etiam hi ipsi alij, & proximi fines à nobis spectari debuerunt, debebuntque sæper referri. adeo ut is volûtati nostræ actionique imperet, & ad se vtramque tanquam rex & dominus trahat, cui quicquid conantur & efficiunt illæ, acquirant & præbeant.

Est

Est autem hic actionum nostrarum non tantum vnuerfarum, id est, totius vitæ nostræ: sed etiam singularum, id est, cuiusque operis nostri finis summus siue summum bonum, sola Dei veri, viui, immortalis, æterni, & rerum omnium, quæ condita sunt, conduntur, & condentur, creatoris & sustentatoris laus & gloria, quæ à nobis ipsa per se & propter se expetenda & spectanda est. Quare & omnia & singula opera nostra debent ad solam vnus illius veri Dei, & in sacro verbo patefacti gloriam à nobis referri, si illa bona, honesta, sancta, & legitime ad suum scopum collimantia esse volumus. Quæ enim ab eo vel tantillum discedunt actiones nostræ, aberrant à suo fine, neque iam bonæ dici, neque rectè dirigi possunt. Ac quidem primùm omnium hoc probemus. Nam quæ Durandus ineptè magis, quàm peritè in libro 2. Sentent. Distinct. 38. quæst. 4. disputat, omitterimus. Primùm igitur est vnuerfale illud Spiritus sancti elogium, Prouerb. 16. versu 4. *Omnia operatus est Iehoua propter seipsum, etiam impium ad diem malum.* quod confirmat Paulus I. Corinth. 10. versu 31. *Sive igitur editis, ait, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Nam uti à Deo condita sunt omnia, uti ab eo sumus, & mouemur in singulis actionibus omnes, ita illius causa, & ad ipsius gloriam conditi sumus, & moueri atque agere debemus, ut idem Paulus Coloss. 1. versu 16. & Actorum 17. versu 28. docet. Præclarè quoque in hanc sententiam Anselmus in Monolo. cap. 66. cuius verba transcribere libuit. *Nihil aptius, ait, quàm rationalem*

creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum: ima ut nihil amet, nisi illam, aut propter illam, quia illa est bona per se, & nihil aliud est bonum, nisi per illam. Atque eò pertinet quòd omnes hominũ ordines, omnis sexus, etas ad Deum laudandum inuitatur, Psalmo 148. quòd omnia sua studia, omnes animi corporisque conatus, vires, labores certatim singuli homines eò conferre, si modò officio fungi volent, debent, ac tenentur. Quorsum enim opus, nisi ad opificis gloriam, pertinere potest? Itaque ut notas gloriæ suæ diuitias faciat dominus, tã varia hominum dona, qualia sunt corpus & animus, & in vnoquoque tam varios motus, tam multiplices partes, tã diuersas actiones dedit, in quibus singulis etiam efficaci potentia sua agit idem Deus, ut in iis omnibus suam gloriam, sapientiam, potentiam, manifestet. Ephes. 3. vers. 20. Quòd enim & melius & iustius vsum & finem horum omnium, quàm ad ipsius Dei gloriam, referent? Sed & hæc quoque ratio hoc, quod diximus, persuadet & probat, quòd qui totius hominis & creandi & creati finis est (est autem Dei ipsius opificis gloria) idẽ singularum hominis partium & motionum finis quoque statui debet. Ex quo fit, ut meritò iubeat Dominus, ut sibi toto corde, toto animo, tota mente, & totis viribus corporis seruiamus. Cur verò? Quia sola ipsius gloria nostræ vitæ, singularumque in ea actionum scopus est verissimus. Qui finis quum à nobis ipse per se spectatur, tunc summum bonũ, summãq; felicitas nobis propofita est: longè quidem maior ac melior.

melior, quàm vel somniare quidem, nedùm describere nobis philosophi vnquã potuerunt: quã vi sua, & ex consequenti omnes animã nostrã facultates Deo replet, vt in libro De spiritu & anima cap. 66. præclarè docetur.

Nam & tunc { *Λογικόν*, replet in nobis Deus luce,
Ἐπιθυμητικόν, siue *θυμοειδὲς* iustitia,
Ὁρεκτικόν, pace & moderatione tranquilla.

Itaque de eo neque amplius disputari, neque dubitari debet. Cæterum quibus tandem gradibus ad eã Dei gloriã per se spectandam & expetendam perueniamus (neque enim, etsi à Dei Spiritu illustrati, statim id possumus) præclarè his verbis docet Bernardus Epist. II. quem locum, quia aureus est, duximus transcribendum, atque huc transferendum. *Imprimis ergo, ait, diligit se ipsum homo propter se. caro quippe est, & nihil sapere valet præter se: quumque se videt per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit igitur secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At verò quum ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere & frequentare, cogitando, orando, obedendo, quadam huiusmodi familiaritate paulatim, sensimq; Deus innotescit, consequenter & dulcescit: & sic gustato, quàm suavis sit Dominus, transit ad tertium gradum, vt diligit Deum non iam propter se, sed propter ipsum. Sanè in hoc gradu statur, & nescio si à quoquam hominum*

quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet homo tantum diligat propter Deum. Erit autem proculdubio, quum introductus fuerit servus bonus & fidelis in gaudium Domini. Itaque illa est verè immortalitas, inquit Lactantius libro 6. cap. 9. quum Deum summè amamus propter seipsum. Ex quo apparet quàm & illud spectare fit difficile, & quàm tardè eò collimemus, & ægrè nos nostrasque actiones omnes ad Dei gloriã. i. ad suum & summum finè referamus. Neque tunc tantum pij, quum erunt in futura illa vita solam gloriã Dei pro summo fine & bono sibi proponunt, sed etiam iam nunc, quum sunt in hac vita, Dei Spiritu impulsì id agunt, quanquam ad eum scopum tardè respicimus omnes, & hoc ipsum voluit Bernard. Vix enim aut ne vix quidè sit, ut nò aliquam nostri ipsius considerationem & rationem tâquam aliquod cœnum huic pulchræ de Dei gloria cogitationi simul aspergamus & admisceamus. Quod vitiosè fit. Sola enim Dei ipsius gloria, & laus, quemadmodum diximus, actionum nostrarum finis à nobis proponi debet. Quod autem in libro De spiritu & anima cap. 54. dicitur, omnium humanarum actionum esse duplicem finè, nempe, Instauracionem diuinæ imaginis in nobis; quæ fit per { Contemplationem veritatis
{ Exercitium virtutis:

& vitæ huius conseruationem, eatenus verū esse non potest, quatenus illa duo pro summo bono & fine cōstituerentur. Nam sunt mediij tantum quidã & inferiores fines isti, qui sunt ad summū illum consequendum vtilis & necessarij. Ca-
terum

terum ita Dei gloriam nobis pro summo & solo singularum actionum nostrarum scopo proponere conuenit, vt ipsa propter se spectetur, & quidem sola, ac tanto tamque sincero affectu, vt, quanquam illi inferuientes in graues calamitates incidamus, corporis labores & mortem ipsam perferre cogamur, imo verò vitam ipsam profunderemus, dico etiam amplius, si propterea de reproborum, ac eterna morte damnatorum hominum numero esse deberemus, tamen eam consecrari semper nos oportet, neque ab ea spectanda desistere, vel desistere, vel alium propterea finem nobis optare & eligere decet, Matth. 10. vers. 26. 39. Id autem verum esse, & tanto animi ardore & affectu vnam illam Dei gloriam nobis pro solo scopo proponendam esse probat: quòd si Dei gloriam, vel Deum ipsum propter vitam aeternam, atque felicem illum statum, què nobis promisit, diligimus, Deum non propter se, sed propter nos ipsos amamus. Sed etiam docemur exemplis tum Moysi, tum Pauli, semota omni nostri ratione & cogitatione, gloriam Dei per se amplectendam esse: quorum uterque etià anathema fieri exoptauit, potius quam vt Dei gloria quicquam imminueretur, & vt ea ratione, si oporteret, illi non inferuieret, vt apparet ex Exod. 32. vers. 32. Rom. 9. vers. 3. Iam verò ex hoc fine constituto, facile intelligimus non modò quantum fidelium & infidelium hominum opera inter se distent, sed etià quantum omnia, quantumuis bona, quæ vocantur, infidelium opera à vera statera, & boni operis definitione procul absint. Est enim finis illud, ex quo præci-

puè operis cuiuslibet nostri natura & bonitas (quemadmodum loquuntur) æstimanda est. Est finis actionis nostre, tanquam viæ à nobis susceptæ, dux & demonstrator. Ex quo fit, ut quicumque à vero & legitimo actionum humanarum fine aberrant, eorum opera, neque bona, neque rectè instituta dici possint, atque òn magis proba cèsenda sint, quàm nūmus, cui auri species & fulgor quidam impositus est, & tamen non est aureus, cui & pondus iustum, & sua publicæque forma omnino desit. Atque hoc, quod dicimus, eò magis videtur obseruandum, quòd mirantur quidam, & excandescunt, quum infidelium virorū, quales tantopere in prophanis historiis laudari vidēt, qualis Aristides (qui etiam Iustus, appellabatur) Socrates (qui Apollinis ipsius iudicio Vir optimus nūcupatus est) Traianus imperator (cui ut moribus Imperatores alij similes essent, à S. P. Q. R. optabatur) & ceteri quū inquam horū, vel similibus etiam, præstantissima maximèque laudata opera verè bona fuisse negamus. Ciuilitèr quidem bona fuisse, & hominū ipsorū ratione & æstimatione laudabilia censenda, denique quoad externum opus, imitanda nobis esse quis neget? Tanta enim vis est honestatis, ut illius vel sola adumbratio, qualia fuerunt ea opera, fulgore suo oculos nostros perstringat, & nos ad se rapiat. Dei tamen ipsius ratione, & ex illius iustitiæ, quæ in Lege Dei præscripta nobis est, examine, iustum suū pondus habuisse: denique ex vera, stricta & propria boni operis definitione, bona fuisse, quis etiam concedet? quum ut alia his constarent omnia, nihil-

nihilque deesset illis: finis tamen, quò nostræ actiones omnes referri debent, illis deest: id est, præcipua boni operis pars, quia verus finis propositus aut spectatus ab illis nunquam fuit. Quæ enim egerunt illi præclare, & ad hominum opinionem pulcherrimè, eò spectabant omnia, vel ut ab hominibus laudarentur, fameque immortalitatem sibi compararent: huius enim fuit audissimus Traianus, adeò ut nomen suum ubique iuberet inscribi, & à Constantino Magno imperatore Christiano propterea Herba parietaria vocaretur. Denique quæ illi agebant, ad eum finem spectabant, ut sibi suoque ingenio viveret, & satisfaceret, quòd iis actionibus & eo vitæ instituto potius quàm alio & turpiori delectarentur. Non igitur suas actiones ad vnius veri Dei (quem ignorabant) gloriam referebant, sed ad suam: non ut illius voluntati & præceptis (quæ non audiuerant) parerent, sed ut vel patriæ. i. hominibus tantum inseruirent: vel animo suo solum morem gererent, qui vel propter sectæ suæ doctrinam, vel naturæ impetum & propensionem iis rebus gaudebāt. Nam Deum verum (Deum, inquam illum, qui Deus Abrahami, & Iacobi dicitur, & solus verus est Deus) sibi pro fine proposuisse quæ potuerunt, quum eum profus non nossent? Eum colere voluisse quæ censentur, qui ne Deum quidem eum esse suspicabantur, cuiusque cultum inter Iudæos ab ipso Deo institutum irridebāt? Magnis quidem sæpe corporis viribus, magno animi conatu, magnis expensis opibus, magnis susceptis laboribus egerunt illa, propter quæ laudantur:

Cap. 17. ETHIC. CHRIST.

sed veri finis, ad quē spectare debebant, cognitione destituebantur. Vnde nunquam sibi eum finem proposuerunt. Itaque cucurrerunt illi quidem, quemadmodum loquitur Augustinus in Psalmo 31. tanquam athletæ validissimi, sed præter metas & carceres, ut totus hic eorū cursus vanus & inanis prorsus fuerit, atque etiam hodie sit. Ex fide enim, id est, vera Dei cognitione, quæ ex ipsius verbo habetur, & veram finem actionum nostrarum intelligimus, & ad eum dirigimur, Spiritu Dei agente in nobis: quo utroque caruerunt infideles, unde neque eorum opera, quæ dicuntur bona, sunt bona (quicquid enim sine fide fit, peccatum est, ait Paulus Roman. 14. v. 23.) neque etiam eorum virtutes, veræ sunt virtutes, sed tantum umbra quædā subobscura verarum virtutum. Præclare enim Augustinus libro 12. De Trinitate cap. 7. lib. 19. De ciuitate Dei, ca. 25. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Virtus, ait, est recta intentio à fide proficiscens. virtus sine fide nulla est. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit: virtus non est, quæ non agnoscit Deum suum authorem, nec ad eum tanquam ad verum finem respicit.* Idem libro 2. De nuptiis, cap. 4. *Vera virtus non est, quum animus à Deo fornicatur, id est, quum idolis seruit, qui eam habet.* Itaque libro 4. contra Iulian. cap. 3. sic idem scribit, *Minus enim Fabricius quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minus impius quam Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deuiando.* Sed & Hieronymus quoque libro 2. in Zachar. cap. 8.

cap. 8. Siue Iudeus, ait, siue gentilis, siue hareticus, quocquam boni operis fecit, nisi in nomine Christi fecerit, mercedem sui operis non est habiturus. Idem Lactantius libro 6. cap. 9. & præclare quidem, Sed putemus, ait, fieri posse, ut aliquis naturali, & ingenito bono veras virtutes capiat, qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui & egentibus stipem dedit, & pauperes inuitavit, & nudos induit: tamen quum illud vnum, quod est maximum, deest, agnitio Dei, iam illa bona omnia superuacua sunt, & inania, ut frustra in his assequendis laborauerit. Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti, in quo tamen si membra omnia & locis suis constant, & figura, & habitudine: tamen quoniam deest id, quod est omnium principale, & vita & omni sensu caret. Denique hæc nostra sententia à Christo ipso confirmatur, cuius verba pro coronide huius capituli adducentur. Illa autem extant Matth. 6. vers. 1. & seq. *Attendite, ait, ne elemosynam vestram detis coram hominibus, ut spectemini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui est in caelis. Et quum precaris, ne sis ut hypocrita: Amant enim in conuentibus & angiportis platearum stando precari, ut appareant hominibus. Amen dico vobis, eos referre mercedem suam. Quod autem in libro De fide ad Petrum, cap. 3. dicitur, huiusmodi opera tamen prodesse infidelibus, ut post mortem mitius torqueantur, non facit, ne mala sint hæc opera: sed ne tam mala, quam cæterorum infidelium, esse censeantur. Quod nos quoque verum esse concedimus, quia Stoicorum delirium, potius quam sententiã, minime probamus, qui omnia peccata inter se*

Cap. 18. ETHIC. CHRIST.
paria esse contendebant. Atque de vero actionū
nostrarum fine & scopo hæc tenus.



CAP. XVIII.

Quæ sit actionum nostrarum, quæ quidem sunt
honestæ, forma.

RESTAT autem quarta & vltima no-
strarum actionum causa, quæ forma
solet appellari, quæ qualis sit, etiam
nobis dispiciendum est. Tunc enim
plena totius huius argumenti tractatione per-
sequuti videbimur. Atque ex hoc ipso loco iam
facillimus nobis ad futuram Legis diuinæ ex-
planationem gradus erit. Ac quidem quum de
nostrarum actionum, imprimis autem honesta-
rum (de iis enim dicere maxime propositum est,
non autem de inhonestis & vitiosis, nisi quate-
nus honestas illustrant) forma quaeritur, hæc di-
stinctio videtur adhibenda, vt nostras actiones
consideremus;

quatenus sunt, } In nobis & in
 } habitu,
 } In ipso opere,
 } & actu, vt lo-
 } quuntur.

Dico in nobis, vel in habitu tunc esse actiones
nostras, quum in animi nostri proposito, cogi-
tatione, & preparatione, tanquam in ipso suo
fonte & causa parturiente, & eas producente,
adhuc spectantur. Itaque quum quæ sit huius-
modi actionum in animo nostro adhuc laten-
tium,